



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Asiaticae Historiae Societatis Iesv Pars ...

Libris Quatuor Comprehensa: Vbi praeter res gestas à Patribus Societatis Iesv in conversione Sinarum, Cocincinae, & Tunchini Regnorum nihil omittitur eorum, quae possunt liberali placere Lectorum curiositati

Bartoli, Daniello

Lvgdvni, 1670

Conuers. insign.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10757

aditu penetrare ad Regem nunquam potuissent, & prospiciebat si minus neganti Vanhé, successorum saltem cuiuspiam profutura.

Quamobrem hæc etiam tam læta amicissimum sibi latere noluit Lingozonum; persuasitque illi multis in aulam regredi & Regionis vnus regendas vrbes quæ deferebantur suscipere; cuius Præfecturæ dum à Rege diploma Pechini operitur, quadrimestrem dedit in Geometricis Riccio operam; in qua quotidianas scholas, dexter & caritate habili Magister, à Mathematicis inchoatas, Theologicis claudibat, vnde simul acutus ingenio & iudicio præstans discipulus, percepta facile Dei notitia, erat illi tunc nomen daturus, nisi perplexo illo multarum coniugum laqueo teneretur. Sed iuuabat nihilo segnius Riccium in quaestiu animarum, suæque in primis familiæ, in qua duos habebat excellentis ingenij iuuenes propinquos, professione Literatos, horum alteri dæmon vaticinatus nascenti fuerat fore Deorum Sinensium, in paucis cultorem eximium, & verò tam miris à puero & inuitatis modis vaticinio respondebat, vt celebraretur nomine sanctitatis. Sed enim haud prius Christi Dei fœlix illi affulsit radius, cum dementem illam suam pietatem in eorum detestationem odiûmque conuertit, solitus deinceps seipsum pudore obruere, si quid minus ardentem, atque industrie pro Christo præstaret, quàm olim pro dæmone. Patrem quoque suum Lingozonum Deo mirabiliter adspirante, paucis argumentis ita Christo addixit, vt congesta in fascem simulachra haud difficilîus, quàm, (quod ipse aiebat) veteres calceos à se proiiceret, sed amplæ illius familiæ tam fausta mutatio, nihil prodigiosius habuit locuplete viro & nobili, suis propterea penatibus impensè obstrictus, quod multa se crederet illorum beneficio assequi; vnde auro, argento & gemmis, subinde illorum in ventres coniectis satagebat illos retinere sibi propitios, & eorum fauorem emereri, qui mos Sinis est facer, & sacra sunt omnia quæ iactantur in idoli cauum velut in idoli viscera mutarentur. Multi quin etiam dum iuola finguntur, ex rebus cuiusque generis, optimi aliquid eo cauo concludunt, aiuntque ex sua, nescio qua, Theologia, idoli intelligentiam, illa naturarum ex vniuersali communione & varietate consistere. Cæterum is de quo cœpimus, adulter, perfidus, iniustus, vita erat in Deum & homines qua dici aut fingi detestabilis nihil potest. Dumtaxat illud retinebat ex genio Sinarum quod erga parentem decrepitum intimè afficiebatur omnique labore, & sumptibus, eius voluptati & desiderio studebat, paratus; caducum illius senium, exhausto, si possit venarum suarum sanguine reparare, qui naturæ, ac gentis instinctus, misero salus fuit; audiens enim apud herum suum Lingozonum de vita immortalis quàm Christiana lex suis certò spondebat sequacibus, statuit omnino fore se in patrem, impium, nisi hanc illi pro viribus curaret, ratusque se ab illo æquius auditum iri quàm alium, Christianismi rudimentis excolendum se Patribus obtulit, ipse quidem de lege haud magis quàm de vita mutanda cogitans, sed parenti

N n

Conuers. in-
fig.110.
Ventre idolo-
lor. auro, &
gem. imple-
ti.